

auri vi pretiosissimarumque rerum copia onustus , pervenit ; quibus Regis animum , nedum purpuratorum omnium adeo flexit ac delinivit , ut statim summum auctoritatis locum nan- cisceretur ; a Rege aduersitus , de rebus gravissimis consuleret , ipsumque adeo in suam sententiam pertraheret , ut penes illum summa auctoritas ac prope totius imperii administratio esse videretur . At Sophi legatus ingenti cum pompa urbem ingressus , cum de pace egisset , summo calidæ gentis artificio persuasus , sericum , nondum concordia firmata , Achromati tradidit ; ac mox , Turca uno comitante , in Persidem reversus , cum mandata egressum Sophus animadverteret , carceri addixit ; Turcæ erui oculos , nares auresque præcidi jussit ; exinde denuo ad arma ventum est . Verumtamen mense februario , vigente hieme ( quod perraro accidit ) Achromates cum maximis copiis , quas ad centum ac quinquaginta millia esse ferebatur , una cum Nasupho Byzantio egressus , Adrianopolim petiit . Venatum Regem animi causa profectum Turcæ vulgarerant : at exercitum viribus ac numero præpotentem , commeatu , apparatu instructum , non sine expeditionis alicujus opinione eo anni tempore Byzantio eductum , credibile videbatur . Itaque quonam Achromatis consilia tenderent , cum magna animorum suspensione Principes circumspectabant . Etsi vero adversus Dacos arma moturum , indeque in Pannioniam bellum illaturum , nondum pace cum Cæfare firmata , plerique opinarentur ; non deerant etiam , qui , terrestribus copiis christianos Principes distinere , classe autem Melitam , vel Siciliam , vel Cretam aggredi statuisse , suspicarentur .

Senatus in ea Achromatis consiliorum ambiguitate , ne quid ad imperium maritimum tutandum prætermitteret , Joannem Jacobum Zannium , Cretæ legatum , quatuor triremibus extra ordinem sex adjicere ; Aloysium Justinianum , damnatorum triremibus præfectum , quinquaginta aureorum millia una cum pilarum , tormentarii pulveris , ceteroque bellico apparatu & commeatibus in Cretam deferre jussit . Ad Amphimalum portum arctius tutandum , Marathi , quem vocant , scopulum , communiri decretum ; negotiumque Zannio legato ac tribus quæsitoribus , Octaviano Bono , Joanni Paschalico , Marco Lauretano commissum , in aliud postea tempus rejectum est . Navalium

1613  
Nasuphus  
cum Persa-  
rum legato  
Byzantium  
pervenit .

Christiano-  
rum Princ.  
de Turcaris  
armis suspi-  
ciones .

Veneti clas-  
sem augent

Senatus  
Decretum  
de Marathi  
scopulo mu-  
niendo .